

DE MORBIS CURONIAE VERNACULIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
LITERARUM UNIVERSITATE CAESAREA
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR
PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR

Carolus Pantenius,

CURONUS.



DORPATI LIVONORUM.
TYPIS J. C. SCHUEMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXXVIII.

IMPRIMATUR

haec dissertatio ea conditione, ut, quum primum
typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio explorandis libris constituto tradatur.

Dorpati Livonorum die XVI. mens. Maji. anni
MDCCCXXXVIII.

FRIDERICUS ERDMANN,

Ord. Med. h. t. Decanus.

Est.

TRD Raamatukogu

2282

VIRO
ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ET GENEROSISSIMO,
LEGATO MILITARI ET MULTORUM
ordinum Equiti

THEODORO PANTENIO,

PATRUO DILECTISSIMO,

hoc opusculum

D. D. D.

Auctor.

Quicumque medicus artem suam ad usum vitae conferre incipiens atque propositum servans, cives suos omnibus opibus viribusque juvare, certe quaestionem sibi ponet, qui morbi sint frequentissimi provinciae, in qua mentis vires exercendi data ei est copia. Certe scrutari conabitur, quibus ex causis hoc loco, hacque provincia nonnulli morbi frequentiores, quam aliis locis? Hae perscrutationes eo magis urgebunt, quo quis sibi persuasum habet, multos morbos potius sanari posse prohibitis rebus externis nocentibus, quam solo medicamentorum usu, vel saltem plurimis in casibus utrumque pariter salutare et necessarium esse.

Quum mihi contigerit primas medicinae practicae observationes locis duobus praecipue coeli natura et incolarum vivendi ratione diversis colligere, facile quoque animadvertere mihi licuit morbos utroque in loco endemics longe diversos occurrere. Qua observatione perimotus consilium cepi, dissertationem de morbis Curoniae vernaculis atque de subsidiis numerum eorum minuendi, conscribere.

Si multis forte hoc thema juvenis experientia atque usu carentis vires superare videtur,

excusationem mihi inde repetere licebit, primo quod medici seniores me observatis adjuvare promiserunt; deinde quod occasione oblata, pluribus cum peritis medicis fama praxeos claris hac de re saepius colloquium institui; porro quod tabularum collegii Curoniae medici inspiciendarum venia humaniter mihi concessa fuit: et denique quod vivendi rationem rusticorum nostrorum accuratius, quam medicis per longius temporis spatium in urbibus praxin exercentibus cognoscendi occasio mihi data est. Accedit quod tempore recentiori nullus medicorum in Curonia viventium tale opus publici juris fecit nec (quantum scimus) tempore instanti elaborare apud animum constituit.

Ceterum hoc qualicumque opusculo meo nequaquam spero fore, ut doctrinam et experientiam collegarum, virorum summe venerandorum, augeam, vel ut populo asylum morbis carens aperiatur, sed tantummodo ut ipse, rem illam tractans, symbolam ad opus tandem exoptandum conferam, simulque legibus academicis satisfaciam. Maximum forte fructum ipse inde carpani. Nam sententiam: ducem exercitus campum certaminis omni modo oportere perscrutari ac cognoscere, ipse dum vires ac ingenium, campum quo mihi erit certamen perscrutando, augere et ad altiora tollere studeo, pro virili collaudare spero. Cui non latet, quis sit genius morborum cujusdam provinciae, quid sit proprium in coeli ac tempestatum mutatione, quod vitae genus et quam rationem incolae sequantur hunc multo difficilius effugiet, quo modo morbi dignoscantur, quid in tractandis morbis

sit evitandum, et quas regulas ars ad sanandos morbos concinnet.

Ad certam ac positivam basin thesium meorum acquirendam veniam inspiciendarum tabularum quae a medicis singulis collegio Curoniae medico transmitti solent, impetrare studui. Quae tabulae, quum multa ratione mancae ac interruptae videantur (omnes morbi nempe quinquaginta inscriptionibus sunt subordinandi, ac nullo modo, num verae sint an falsae tabulae singulorum medicorum, scire licet, quum haec res partim a libero arbitrio, partim ab opportunitate morbi cognoscendi data, nec minus ab eruditione et ingenio medici pendet, dum multi medici praxin rusticanam exercentes plurimos aegrotos rarissime tantum vel ipsos omnino non vident), tamen conclusiones in genere ex omni numero tabularum ductae, propius ad veritatem accedent, quam conclusiones ex morborum observationibus a singulis medicis institutis ductae.

Venia tantum accessus ad trium annorum morborum tabulas inspiciendas data, ex his omnibus pro singulis annis schemate cummuni adhibito, unam conscripsi tabulam, hoc tantum discrimine interposito, quod singuli ac omnes morbi annotentur, nullo modo autem, (quae res minus momenti ad thema propositum adfert), quot morbi cujusque sexus, nec quot mortui vel sanati sint. Tum ex omnibus morbis numerus aegrotorum est annotandus, qui ex eodem morborum genio mala traxerunt, ita ut conclusionibus ex omnium numero ductis, morbi in Curonia endemici definiiri possint.

Catalogus, in quo numerus omnium aegrotoriae tractatorum

anno MDCCCXXXIV a medicis Curoconscriptus est.

Nomina morborum.	Numerus aegrotorum	
	qui tractandi restiterunt,	qui a.e. in mor- bum inciderunt
1. Febres intermittentes	102	4185
2. — catarrhales, rheumaticae	269	6181
3. — gastricae, biliosae, mucosae et verminosae	170	5373
4. — inflammatoriae simplices et cum locali inflammatione	53	1933
5. — nervosae simplices	59	1748
6. — puerperales	1	97
7. Typhus, f. putrida, petechialis	7	476
8. Angina membranacea, putrida	5	129
9. Variolae verae et varioloides	12	125
10. Scarlatina	4	1478
11. Morbilli	105	2681
12. Erysipelas et exanthemata alia acuta	14	870
13. Tabes, Atrophia, Marasmus	48	183
14. Phthisis varia	131	276
15. Hydrops	73	676
16. Icterus	9	150
17. Rhachitis	16	30
18. Scrophulae	250	514
19. Scorbutus	29	118
20. Syphilis	106	876
21. Obstructiones viscerum	33	318
22. Retentiones variae	58	313
23. Scabies et herpes	462	3602
24. Impetigines aliae	40	442
25. Asphyxiae, casus subitanei		22
26. Apoplexia et paralysis	27	115

Nomina morborum.	Numerus aegrotorum	
	qui tractandi restiterunt,	qui a.e. in mor- bum inciderunt
27. Morbi mentales	26	68
28. Colicae et dolores varii	82	1572
29. Rheumatismus et arthritis	178	2344
30. Epilepsia, Catalepsia	114	150
31. Tussis convulsiva	61	960
32. Spasmi, convulsiones	62	694
33. Haemorrhagiae	17	375
34. Haemorrhoides	106	256
35. Diarrhoea	90	2939
36. Dysenteria	5	3507
37. Cholera sporadica		465
38. Profluvia alia	28	244
39. Morbi varii chronici	185	1197
40. — oculorum varii	412	3088
41. — renum et vesicae urinariae	18	87
42. Contusiones et commotiones	26	601
43. Tumores, abscessus, ulcera	232	1694
44. Herniae, prolapsus	73	164
45. Vulnere	62	963
46. — a morsu animalis rabidi	4	60
47. — post operationes majoris momenti		14
48. Gangraena	6	52
49. Partus difficiles		117
50. Morbi alii chirurgici	23	536
	3893	55045
		3893
		58938

Catalogus, in quo numerus omnium aegrototoniae tractatorum

Nomina morborum.	Numerus aegrotorum	
	qui tractandi qui a.c. in morrestiterunt,	qui a.c. in morbum inciderunt
1. Febres intermittentes	313	4353
2. — catarrhales et rheumaticae	394	5758
3. — gastricae, biliosae, mucosae, verminosae	281	4492
4. — inflammatoriae et cum locali inflammatione	69	1979
5. — nervosae simplices	96	1820
6. — puerperales	3	100
7. Typhus, febris putrida, petechialis	6	480
8. Augina membranacea, putrida	3	204
9. Variolae verae	1	11
10. Scarlatina	29	554
11. Morbilli	38	1450
12. Erysipelas et exanthemata alia acuta	52	941
13. Tabes, atrophia, marasmus	61	195
14. Phthises variae	147	241
15. Hydrops	111	543
16. Icterus	5	178
17. Rhachitis	21	11
18. Scrophulae	263	559
19. Scorbutus	11	240
20. Syphilis	127	908
21. Obstructiones viscerum	46	244
22. Retentiones variae	52	357
23. Scabies et herpes	549	3627
24. Impetigines aliae	57	380
25. Asphyxiae casus subitanei	1	38
26. Apoplexia et paralysis	31	97

rum anno MDCCLXXXV a medicis Curoconscriptus est.

Nomina morborum.	Numerus aegrotorum	
	qui tractandi qui a.c. in morrestiterunt,	qui a.c. in morbum inciderunt
27. Morbi mentales	13	97
28. Colicae et dolores varii	91	1658
29. Rheumatismus et arthritis	369	1880
30. Epilepsia, catalepsis	114	138
31. Tussis convulsiva	137	3590
32. Spasmi, convulsiones	46	456
33. Haemorrhagiae	16	343
34. Haemorrhoides	97	272
35. Diarrhoea	124	1757
36. Cholera sporadica		21
37. Dysenteria	222	1176
38. Profluvia alia	50	277
39. Morbi varii chronici	186	660
40. — oculorum varii	512	3007
41. — renum et vesicae urinariae	23	149
42. Contusiones et commotiones	35	631
43. Tumores, abscessus, ulcera	248	1527
44. Herniae, prolapsus	122	183
45. Vulnere	78	714
46. — a morsu animalis rabidi		68
47. — post operationes majoris momenti		9
48. Gangraena	3	66
49. Partus difficiles		106
50. Morbi alii chirurgici	37	453
	5281	48998
		5281
		54279

Catalogus, in quo numerus omnium aegrotorum
 ninae tractatorum

rum anno MDCCCXXXVI a medicis Curo-
 conscriptus est.

Nomina morborum.	Numerus aegrotorum qui tractandi qui a. c. in mor- restiterunt, bum inciderunt	
1. Febres intermittentes	143	2283
2. — catarrhales, rheumaticae	321	7567
3. — gastricae, biliosae, mucosae, ver- minosae	208	5109
4. — inflammatoriae simplices et cum locali inflammatione	80	2253
5. — nervosae simplices	66	3599
6. — puerperales	2	120
7. Typhus, f. putrida, petechialis	5	1789
8. Angina membranacea, putrida	4	203
9. Variolae verae		86
10. Scarlatina	5	601
11. Morbilli	2	516
12. Erysipelas et exanthemata alia acuta	68	1131
13. Tabes, atrophia, marasmus	70	182
14. Phthises variae	153	299
15. Hydrops	74	521
16. Icterus	5	257
17. Rhachitis	23	30
18. Scrophulae	245	672
19. Scorbutus	19	172
20. Syphilis	107	1034
21. Obstructiones viscerum	42	379
22. Retentiones variae	39	388
23. Scabies et herpes	531	3589
24. Impetigines aliae	40	458
25. Asphyxiae, casus subitanei		53
26. Apoplexia et paralysis	31	118

Nomina morborum.	Numerus aegrotorum qui tractandi qui a. c. in mor- restiterunt, bum inciderunt	
27. Morbi mentales	15	137
28. Colicae et dolores varii	88	1826
29. Rheumatismus et arthritis	200	2292
30. Epilepsia et catalepsis	91	174
31. Tussis convulsiva	126	711
32. Spasmi, convulsiones	24	555
33. Haemorrhagiae	16	425
34. Haemorrhoides	91	321
35. Diarrhoea	47	2040
36. Dysenteria	40	869
37. Cholera sporadica		34
38. Profluvia alia	38	288
39. Morbi varii chronici	260	812
40. — oculorum varii	473	3310
41. — renum et vesicae urinariae	20	111
42. Contusiones et commotiones	36	650
43. Tumores, abscessus, ulcera	310	1639
44. Herniae, prolapsus	123	114
45. Vulnura	60	704
46. — a morsu animalis rabidi		57
47. — post operationes majoris momenti		31
48. Gangraena	8	51
49. Partus difficiles		138
50. Morbi alii chirurgici	25	512
	4374	51212
		4374
		55586

Si licitum esset credere, omnes in Curonia a morbis correptos, auxilii medicorum participes fuisse et a medicis in tabulas esse receptos, illae tabulae omnino demonstrarent Curoniam esse provinciam servandae bonae valetudini optime faventem. In maximum autem errorem incurreret is, qui conclusionem inde deduceret, quemcunque aegrotum a medicis esse tractatum; nam exempli gratia in circulo Doble-nensi praediis septuaginta duobus fisco subditis et quadraginta quinque privatis calculo probabilium exhibito, quinquaginta millia rusticorum tantum a quatuor medicis auxilium repetere possunt ita, ut maxima pars rusticorum omni auxilio medico plane sit destituta.

Summa observationum ex supra scriptis tabulis aegrotorum, qui triennio nunc praeterlapso tractati fuerunt, deducta nullo modo discrepat a sententiis medicorum in nostra provincia viventium, quos maxima cum diligentia explorare studui. Nullo modo nempe praetermittendum anno MDCCCXXXIV e millenis aegrotis ducentos viginti octo; anno MDCCCXXXV e millenis aegrotis centum sexaginta septem et anno MDCCCXXXVI e millenis aegrotis centum septuaginta, qui his annis a medicis Curoniae tractati sunt ab initio abdominis perturbationibus laborasse [omnibus nempe morbis, sub rubro tertio; febres gastricae, biliosae, mucosae verminosae, sexto decimo: icterus, vicesimo primo: obstructions viscerum, tricesimo quarto: haemorrhoides, tricesimo quinto: diarrhoea tricesimo sexto: dysenteria, tricesimo septimo: cholera sporadica, enumeratis et in summam con-

scriptis.] His morbis exceptis multa alia mala cum vexationibus abdominis conjuncta inveniuntur, e. c. febres intermittentes non raro hic occurrentes, typhus, erysipelas, hydrops, retentiones variae, morbi mentales, arthritis, morbi varii chronici, morbi oculorum varii, et in specie sub rubro vicesimo octavo enumerata colica et dolores varii. Persuasum nobis ideo habere possumus genium morborum saepissime in Cronia occurrentem esse gastricum, quod plurimis in morbis abdomen maxime vexatur. Quum vero affectiones viscerum abdominalium non raro demum a catarrho (morbo non tantum organa respirationis tangente) originem ducant concludimus catarrhum e numero morborum esse, qui in Cronia haud raro inveniuntur.

Morborum biliosorum genus ab eo gastricorum thesibus nostris hac ex causa non discernitur, quod uterque nobis arctissime conjunctus videtur, nec in tabulis, quae nobis patent, discernitur. Quum autem secretio bilis perturbata a catarrho, ab inflammatione vel a spasmu ortum queat ducere, nullo modo fieri potest, quin in tabulis generalibus, omnes morbi quoad genus sejungantur.

Quoad symptomata nervosa in morbis observata, notandum est anno MDCCCXXXVI illa medicis haud raro obviam venisse. Febres nervosae simplices, febres puerperales et typhi in unum numerum redacti docent, anno MDCCCXXXVI aegrotos quinque millia quingentos octoginta et unum ab his malis vexatos fuisse. Mihi autem genium morborum nervosorum silentio praetereunti, ignoscat in praxi

versantes quum quid sit nervosum, dicendum mihi videtur relativum, de quo adhuc sub iudice lis est. Variarum theoriarum ab aliis prolatae et propriis meditationibus excogitatae me quasi per labyrinthum huc et illuc duxerunt, nulla autem adhuc talis est visa, qualem amplecti ex animo sincere potuissem. Iuvenes, qui vituperationem verbis meis injiciant, magnopere rogo, ut iterum atque iterum hanc materiam animo volvant; seniores autem ac peritos, qui incertitudine meae veniam dare nequeant, summa reverentia rogo, ut mihi definitionem distinctam certissimam et practicam exhibeant, quam gratissimo animo excipiam et diligentissime amplectar. — Quam aberrationem a themate excusare velitis rogo. Tabulae anni MDCCCXXXIV, cum tabulis anni MDCCCXXXVI collatae docent, numero febrium nervosarum aucto, numerum febrium intermittentium diminui. Quod non tantum a medicis nostris senioribus observatum est, sed etiam eandem rem ephemerides Germaniae ac aliarum terrarum docent.

Quod attinet ad inflammatorium morborum genus, observatio [febribus inflammatoriis et inflammationibus localibus paene 2333 per annum conscriptis] demonstrat, hunc in Curonia per tres illos annos non fuisse praedominantem.

Rheumatismus et arthritis in morborum tabulis sub eodem rubro enumerantur. Quae ratione enim distingui possint, vel viris me experientia antecellentibus aegerrime dijudicandum videbitur. Rheumatismus exclusive sic dictus, nec minus febres rheumaticae, e medicorum in Curonia viventium opinione saepissi-

me inveniuntur; e. g. febris catarrhalis epidemica [Influenza] quae anno MDCCCXXXVI Curoniam vexabat, cum fortissimis malis rheumaticis erat complicata. — Rheumatismus chronicus et arthritis certissime summa cum difficultate distinguuntur, multo difficilins adhuc ab inculto Letticorum populo disceruntur, qui valetudinem leviori modo labefactam minus, quam illustrioribus locis nati et litteris discendis et animo excolendo magis profecti, animadvertit, eamque ob rem maximis tantum doloribus vexantibus artis adjumenta petit et mala medicorum judicio subjicit. Rebus sic se habentibus autem Letticus rarissime medico sententias de statu valetudinis scit proferre, aut enuntiare, qui fuerint prodromi, quos aegritudo est secuta. Discrimen autem maximi momenti offerunt prodromi, qui paene absque ulla exceptione in arthritide occurrunt, quum in rheumatismo desiderentur et qui hanc ob causam a medicis nomine arthritidis imperfectae seu atonicae insigniuntur. Aliud quoddam non minoris momenti discrimen medici ponunt in sede dolorum, qui in arthritide praecipue articulos, in rheumatismo contra praecipue musculos afficiunt. Sed medico mala Letticorum curanti hac in re dijudicanda multae difficultates obviae fiunt, dum Letticus omnem dolorem arthriticum non minus quam rheumaticum ad ossa referat [wissi kauli sahp, wissus kaulus lausch, ar wisseem kauleem brehz.] Eadem sententias profert de molestiis et incommodis, quae in febribus observantur; fortasse hanc ob causam quod rustici hujus provinciae

saepissime febribus rheumaticis vexantur. Ceterum lingua Letticorum propriis morborum nominibus omnino paene caret.

Arthritis pura omnino in Curonia et praecipue apud Letticos rarissime invenitur. Saepius quam hoc malum apud illustriore loco natos lithiasis illi affinis occurrit. His autem in casibus etiam aegroti magis formatione calculorum minimorum et dysuria inde orienti, quam majoribus calculis vesicae vexantur. Quod eo notabilius, quo saepius haemorrhoides vesicae sic dictae, calculis minimis jam existentibus, formationem calculorum majorum facillime causantes, inveniuntur. Num calculi minimi per urethram emissi atque calculi vesicae et renum maximi, ex iisdem substantiis ac eodem modo in Curonia compositi sint, expertum me faciendi occasio se non obtulit. Cujus quaestionis investigatio ut ad discrimen et veritatis iudicium perduceretur, certissime Curoniae esset maximi atque gravissimi momenti. De parvo numero aegrotorum quos ipse novi, affectione renum et formatione calculorum minimorum vexatorum compertum habeo, eos balneis sulphurei fontis qui prope pagum Kemmern reperitur maximo cum lavamine usos esse. Aqua quam laudavimus mineralis, quamquam hujusmodi aegrotos non semper plane in integrum restituat, dolores arthriticos plerumque tamen maxime levat. Causae lithiaseos haud raro in hac provincia observatae etiam omnibus casibus acerrime exploratis, difficulter inveniendae, quo mirum non videbitur, quum res in aliis quoque regionibus ita

se habeat. Liceat provocare hic in sententiam Exp. Heyfelder, qui in commentatione huc pertinente:*) „Aus dem eben Gesagten, „ait“ geht hervor, daß es schwierig ist, in den localen „Verhältnissen, bedingende Momente zur Steinbildung, mit Bestimmtheit zu entdecken.“

Scrophulas nonnullis Curoniae regionibus frequentes esse dicunt, aliis autem raro hunc morbum invenimus. Liberi pauperrimorum rusticorum et indigentium, semper in maximo squalore viventium Judaeorum praecipue hoc malo vexantur. Inter mala e scrophulis orientia maxime numerandi morbi oculorum, ut degenerationes palpebrarum, maculae corneae et staphylomata. Rarius in Judaeorum gente scrophulae in rhachitidem transeunt, quod, ni fallor, exinde explicari potest, quod Judaei vitam magis sobriam degunt, et aegroto majori diligentia curant. Inter rusticos in regionibus quibusdam membrorum partibus mutilati saepius inveniuntur, dum contra aliae regiones mutilis plane carere videntur. Peregrinus quidem per Curoniam iter faciens ubique curtos conspiciet, ideoque nobiscum non consentiet, interim multos mendicos mutilatos e Lithuania venientes in Curonia vagari perpendere debemus.

*) Sanitätsbericht für das Fürstenthum Hohenzollern-Sigmaringen während des Jahres 1835. Ein Beitrag zur medicinischen Chorographie von Heyfelder.

Scorbutus in Curonia etiamsi haud saepe, attamen nullo modo etiam haud raro inventus, praecipue rusticos in littore maris baltici viventes et piscationem exercentes, male vexat. Ulcera pedum saepe indolem scorbuticam prae se ferre videntur. Ceterum hic morbus anno 1836 minus gravi specie, quam annis 1834 et 1835 medicis occurrisse, eodemque in anno dyscrasia scorbutica minus conspicua fuisse dicitur.

Numerus aegrotorum syphiliticorum in urbibus et regionibus circum urbes sitis quoque anno augetur. Qui nosocomium, quod Mitaviae est, frequentat, infectionem primariam syphiliticam gravi modo factam animadvertet. Puellae perditae, servi, famuli, ceterique homines inferioris loci, dissolute viventes atque ipsi milites tam diu hoc malum occultant, quamdiu a magistratu vel ab heris et praefectis non animadvertitur; quae res autem, quod maxime dolendum, saepissime per casum quendam malo jam valde dilatato et majori temporis spatio (haud raro mensibus) praeterlapso evenit. Tabulae nosocomii Mitaviensis anno MDCCCXXXVI non nisi ducentos septuaginta sex casus affectionum syphiliticarum exhibentes facile in errorem nos inducere possent e 1141 incolis tantummodo unum lue venerea correptum fuisse. Sed e parvo numero illo jam colligere licet, plurimos syphiliticorum tam in urbibus quam rure viventium malum suum aut plane occultasse, aut medicos circulatores, quorum in Curonia non pauci circumvagantur, consuluisse. Exp. Dr. Freymann medicus quondam circuli Windaviensis refert, hoc malum demum inde ab anno MDCCIC, quo legio imperatoria, quam

St. Sophiae appellant, in Curonia in hibernis collocata fuit, rusticis hujus provinciae notum esse. Agriculae ab initio hoc malum minimi facientes communibus cellis caldariis et angustis domiciliis usi ita morbum propagaverunt, ut hodie saepissime inveniatur, illisque regionibus, ubi mala victus indoles aut alimentorum penuria ac omnium rerum angustiae premunt, malignus appareat. Rustici saepissime tantum luem veneream secundariam iudicio medicorum subji- ciunt, dum vulgus hoc malum in stadio primo aut ipse tractat aut medicos circulatores arces- sit. Multis in praediis equestribus, quibus agri- colae omnino nullo aut malo medicorum ad- jumento fruuntur, saepissime uno ac eodem rus- culo plures ejusdem incolarum hoc malo sunt contaminati.

Judaei hujus provinciae quodcumque officinum in se suscipientes, praeter multa alia mala, etiam scabiem plebi communicant. Acarus scabiei enim, quod videtur, praecipue amicissimus est nostrae provinciae Judaeis, qui illum quasi fidelissimum animal domesticum im- munditiae et squalore cutis colunt ac nutriunt. Quum autem Lettici, tum mercaturae, cum iti- neris causa, in cauponis, quae novissimis tem- poribus saepissime Judaeis sunt locatae, cum his vario modo commercium habeant nemo mi- rabitur eosdem etiam persaepe ab hoc morbo contaminari. Rusticus vero scabie obrutus facil- lime malum suum contactu perpetuo, nullo mo- do evitando, in pagi contubernales persaepe transfert. Cum magna veritatis specie igitur, uno ac eodem anno 4176 scabiosis medicorum tractatione curatis, conjecturari potest, nume-

rum haud miuorem aut a circumforaneis opem petiisse, aut methodum viri clarissimi Dr. Adolphi *) nonnullis rusticis et agrorum possessoribus notam, adhibuisse, aut morbo tam vulgari aduetum, omnem curam neglexisse. De gradu propagationis, hujus mali exemplum mihi retulit medicus quidam peritissimus. Occurrit ei enim aegrotus malo herpetico palpebrarum laborans, quem morbum extinguere nullum remedium ab eo adhibitorum valuit. Medicus quum aegrotum per longum temporis spatium scabie affectum fuisse percepisset, simplex unguentum contra scabiem in palpebras infricari jussit, quo aliquoties facto malum evanuit. Notum autem est scabiem rarissimis tantum casibus faciem attingere. Haud raro fit, ut matres infantes adhuc lactantes ad medicos ferant, et auxilium contra inquietem et clamores eorum petant. Infante deuestito saepissime scabies delectitur, quam vero causam esse inquietis et clamorum matri difficillime persuadetur. Rebus sic se habentibus, e scabie multorum morborum chronicorum originem esse ducendam, persuasum sibi et illi habebunt, qui Hahnemannitheoriae neutiquam favent.

*) Eine bisher geheimgehaltene Heilart der Krätze, mittelst welcher dieselbe in drei Tagen unfehlbar und ohne Nachtheil für die Gesundheit geheilt wird. Bekanntgemacht durch Wilhelm Adolphi, Candidaten der Menschen- und Thierheilkunde. Libau bei C. H. Föge.

Morbus porro persaepe in Curonia observatus est hydrops, qui paene quartam partem hoc malo vexatorum adimit. Iteratae refrigerationes, morbi chronici varii generis, scarlatina negligenter tractata, febres intermittentes per longum tempus protractae illum provocant atque domicilia mala, humida et frigori exposita, alimentorum penuria, cura et cultus qui saepissime aegrotis desunt, nec non natura coeli asperi, impediunt, quominus prorsus sanetur. Pro hydropicis enim, quorum tractatio victus et amictus rationem singularem postulat, nosocomia apta desunt.

Quod attinet ad exanthemata acuta, scarlatina et morbilli, quoque spatio trium annorum nunc praeterlapsorum sunt observati. Omnino cum eventu optabili praeterierunt, illi casus tantum, qui cum inflammationibus organorum majoris momenti erant complicati, temporibus novissimis haud rari, maximum periculum adduxerunt. Ceterum infantes pauperrimorum ordinum cura ac cultu neglecto, praecipue morbis secundariis graviter vexati fuerunt.

Variolae verae ac praecipue varioloïdes item his tribus annis, interim raro tantum observantur. Anno MDCCCXXXVI e numero octoginta sex aegrotorum, quindecim sunt mortui. Plerumque e provincia finitima, Lithuania, per infectionem sunt importatae tribunal sanitatis publicae autem propagationem ulteriorem feliciter prohibuit. Vaccinationem ceterum in Curonia maxima cum diligentia exerceri hoc loco cum

laude est notandum. Medici et variolarum vaccinarum insitores a magistratu constituti, certis temporibus tabulas de eventibus curae ac occupationum tribunali Curoniae medico transmittunt. Ex his tabulis patet anno MDCCCXXXVI in Curonia 14778 infantibus variolas vaccinas esse insitas; et populatione totius provinciae ad numerum 507883 aestimata, perpaucos tantum aut omnino nullos infantes vaccinatione subtractos fuisse.

Quae de chirurgia notanda.

Ad annum MDCCCXXXIV non ab omnibus medicis sub rubro quadragesimo septimo — vulnera post operationes majoris momenti, — inscripto, speciatim enumerantur casus quos tractaverint. Qua re ex hoc indice tantum quatuordecim casus continente, nil nisi hoc concludi potest, perpaucas operationes eodem anno factas esse. Ad annum MDCCCXXXV sub eodem titulo novem tantum casus enumerantur, qui autem numerus certissime a veritate abhorret. A medicis enim nominantur

9. Operationes cataractae.
 1. Exstirpatio mammae canerosae.
 1. Trepanatio sterni propter cariem.
 3. Operationes fistularum ani.
 1. Operatio radicalis hydroceles.
 3. Exstirpationes tumorum cysticorum.
 1. Herniotomia.
 1. Amputatio femoris.

1. Amputatio cruris.

1. — brachii.

1. Resectio tibiae propter fracturam complicatam.

1. Ligatura arteriae radialis.

1. Exstirpatio partis maxillae superioris.

Quae omnes operationes prospero cum eventu factae sunt.

2. Operationes cataractae.

1. Formatio pupillae artificialis absque successu sunt institutae.

1. Amputatio femoris.

1. Herniotomia.

1. Resectio ossium cruris.

1. Exstirpatio uteri malo cum eventu factae sunt.

Quae operationes jure ad graviores referendae, haud novem sed triginta duarum numerum efficiunt.

Anno MDCCCXXXVI operationes hae a Caeroniae medicis sunt institutae.

1. Herniotomia.

1. Amputatio femoris.

3. Amputationes cruris,

2. — digitorum.

4. Exstirpationes tumorum.

2. — canceri podicis.

1. Exstirpatio mammae.

1. — fungi haematodis.

1. Excisio labii cancerosi.

1. Paracentesis thoracis.

4. Operationes entropii.
3. — cataractae.
2. Extractiones polyporum nasi cum successu.
 1. Herniotomia.
 1. Trepanatio calvariae.
 1. Operatio atresiae ani.
 1. — cataractae,
 1. — prolapsus ani per excisionem malo cum eventu faciae sunt.

Postea, occasione oblata, exponam, quam ob rem in Curonia tam paucae tantum operationes factae sint, quum triginta duae operationes in populatione 507883 capitum certissime omnibus perpaucae videbuntur. — E ceteris casibus chirurgicis, exceptis laesionibus mechanicis, quae apud homines in diuturnis laboribus occupatos, saepissime inveniuntur, ulcera pedum memoriae digna sunt. Homo incultior omnia negligens, de malorum istorum paene semper inveteratorum et altius organismum penetrantium origine, raro certi quid proferre scit solo adspectu autem eorum natura rarissime est cognoscenda. Tractatio eorum ergo rarissime causis et naturae accommodari solet, nec saepissime faustus eventus inde resultat. Plurimis in casibus laesiones mechanicae, refrigerationes pedum, quas intumescitiae erysipelatosae sequuntur, ulcera illa excitant; perpauca autem casibus, quum illis et medicamentorum internorum usus non medeatur, e veris cachexiis provocari videntur.

Quae de arte obstetricia notanda.

Anno MDCCCXXXIV triginta quinque obstetrices publice probatae partus 1287 feminarum adjuverunt; ex his quatuordecim gemellos ediderunt: ergo nati sunt 1301 infantes, quorum 1231 vivi, 70 mortui in mundum intraverunt. In numero mortuorum viginti partus praematuri atque tredecim abortus sunt consignati. E numero casuum in tabulis medicorum sub nomine „partus difficiles“ conscriptorum nonnulli tantum accurate significantur in adnotationibus e quibus apparet, placentam saepius arte solutam et extractam esse.

Anno MDCCCXXXV ad universis obstetricibus publice probatis 1165 feminae in partu edendo adjectae sunt, quae 1193 infantes pepererunt, quos inter partus 26 fuerunt geminorum et unus trigeminorum; 68 infantes, maxima ex parte praematuri, nati sunt mortui. E numero parturientium mortuae sunt undecim. Tabulae referunt universae Curoniae medicos, vicies sexies forcipem applicuisse, duodecies infantem in pedes ac ter in caput direxisse, semel caput perforasse et vicies sexies secundinas solvisse; idque cum successu. Non nisi tres feminae parturientes post operationem perierunt, altera post forcipis applicationem, altera post versionem foetus et tertia post solutionem secundinarum.

Anno MDCCCXXXVI a triginta novem obstetricibus publice probatis 1180 feminae in partu

adjutae 1201 infantes ediderunt, quorum partuum undeviginti fuerunt geminorum ac unus trigeminorum. Mortui autem nati sunt octoginta tres infantes, quorum triginta duo maturi, viginti sex praematuri, viginti quinque abortivi, inter quos etiam consignatum est monstrum duplex, quod in museo anatomico Dorpatensi servatur. Medici Curoniae cum successu vicies bis forcipem applicuerunt, novies partum in pedes direxerunt, quadragies octies placentam solverunt atque semel foetus dissectionem exercuerunt. Cum eventu matribus infausto ter forcipes applicati, bis partus in pedes directi, atque ter solutiones secundinarum sunt factae.

Numerus etiam operationum obstetriciarum quoad populationem totius Curoniae minimus esse videtur, et iterum atque iterum observanti venit in mentem, permultas partum edentes medicorum auxilium assequi aut noluisse aut nequuisse; certissime autem plurimis in casibus nequierunt. Singulis operationibus inter se collatis, observantem haud effugiet, quam saepe secundinae solvendae fuerint? Medici peritiores atque seniores affirmant, has adhaesiones placentae praeternaturales, certis tantum temporibus saepe, aliis autem rarissime observari. De causis rei specialissimis quaerenti responsum sufficiens haud datum est.

Nonnulla de numero morborum in Curonia vernaculorum diminuendo.

Quacunque terra praecipue duabus rebus externis valetudo incolarum afficitur: et situ ac

climate provinciae, seu rebus quae a terrae et coeli natura pendent; et incolarum vivendi ratione atque commercio quod inter se habent. Necesse quidem est, ut medicus situm ac clima provinciae suae, seu res quae a terrae et coeli natura pendent noscat; quas vero quum commutare non possit, de iisdem pauca tantum proferam, plura vero de incolarum Curoniae vivendi ratione atque consuetudine.

Primo adspectu Curonia, speciem provinciae bonae valetudini male faventis prae se fert. Regiones depressiores, multi lacus rivi segnes ac numerosi rivuli non raro in magnas paludes confluentes, occupant et tam humidam reddunt ut saepe nebulae inde prodeant caligine longos terrae tractus tegentes, quae humiditate nonnunquam agricolas impediunt quominus agros rite colant. Prae omnibus caeteris autem regionem circa Mitaviam sitam planam et humilem esse maxime demonstrat inundatio, quae vere anni MDCCCXXXVII terrorem gravissimum urbis hujus civibus iniecit, quum fluvius, cui Aae nomen est, caeteris mensibus modicam seu exiguam tantum aquae copiam continens, hieme soluta adeo supra ripas evaserat, ut perpaucae tantum viae urbis ab omni inundatione restarent liberatae, et aequor terras adjacentes quaque versus ad distantiam septem miliarium rossicorum tegeret, et vel pontes vicinos destrueret. Circuli Doblenensis, cujus caput urbs proconsularis Mitavia est regiones tantum prope ipsum viculum Doblen sitae paulum e planitie aequissima et perlustrata exurgunt. Circuli autem — qui ab oppidulis Illuxt, Bauske, Tuckum, Talsen, Windau, et Hasenpoth nomina ducunt — perpauca tantum

locis tumulos parum editos offerunt, qui quidem ipsi non tantam altitudinem assequuntur, ut provinciam nostram ab impetu ventorum gravium, qui veris et auctumni temporibus excitantur, plane defendant. Haec autem terrae conditio, quae undique ventis liberum dat accessum — nec minus mare prope jacens, quod ad occasum et septentrionem provinciam continet, perpetuo subitas aëris et tempestatis vicissitudines adducit.

His rebus autem omnibus inter se computatis, Curoniam omnino provinciam bonae valetudini male esse faventem, cum magna specie veritatis credi posse videtur — cujus conjecturae argumenta nihilominus tamen exempla a medicis praxin exercentibus enumerata plane refutant. Singulorum enim annorum tabulis inter se comparatis, numerus incolarum ad numerum aegrotorum eandem habet rationem, quam $8\frac{1}{2}$ ad 1 qua in re autem bene notandum, homines singulos saepius eodem anno morbo corripiti potuisse; Ratio mortuos et aegrotos intercedens vero est 1. : 31. Epidemiae populum invadentes rarissime malignae sunt indolis jexanthemata acuta, scarlatina et morbilli quotaannis in medicorum conspectum venientes minimum periculi minitari solent; quem genium bonum etiam epidemia febris nervosae anno MDCCCXXXVI grassans prae se tulit; quum e numero 14 aegrotorum unus tantum periret e numero 94 incolarum autem ne unus quidem in morbum incideret. Gravissima lues cholera ipsa per totam Curoniam haud divulgata est, quae quidem res minus a conditionibus provinciae nos-

trae bonae valetudini faventibus potest deduci, quam a ratione et consuetudine agricolarum haud pagatim sed in rusculis seorsum positae domicilia exstruendi.

Omnibus ab hac re pendentibus bene consideratis certissime credendum, morem, quem proprium diximus Curoniae, magnam, in omnem provinciae nostrae speciem, habere vim. Quo modo quum agricolae conjunctionibus cum vicinis uti et omnis generis relationes ac consuetudines inter se habere impediuntur, contagia morborum difficillime ac nullo modo rapida propagatione in totam provinciam divulgari possunt, quamquam etiam haud praetermittendum videtur, medico praxin exercenti maxima obstacula inde obviam venire. — Medicus per vias incultas et paene inexsuperabiles ab rusculo ad rusculum iter faciens, diei maximam partem in ipso itinere faciundo consumit ac summa premittitur angustia temporis, cujus difficultate minus afficitur locus, quibus agricolae pagatim domicilia habent. Simili modo medicamenta aegrotis adhibenda cursore singulari misso in pagos transferuntur, dum ad singula ruscula tantum multorum cursorum ope transferri possunt. Deinde dum cognatione aegrotis juncti rusculum late remotum habitant, uno ac eodem viventes autem occupationes quotidianas sequuntur et omnia, quae ad curam aegrotorum pertinent, saepissime negligenter observant, ita ut haud raro omnibus rusculi incolis in operibus rusticis versantibus, medicus aegrotum custode seu curatore destitutum inveniat. Omni modo rebus sic se habentibus impeditur, quo minus, quae medicus ad medelam aegroti perficiendam neces-

aria putaverit, rite perficiantur, quum nemo sit, qui rationem de morbi phaenomenis reddat, nec adjumento, quo opus est languenti, succurrat. Haec omnia sanandis mala valetudine afflictis maximo sunt impedimento, quo accedit, ut rarissime e rusculis longo intervallo disjunctis de homine morbo correpto, tempore aequo nuntius afferatur.

Omnia autem, quae commemoravimus, plane demonstrant, hospitia publica aegrotantium seu nosocomia provinciae nostrae maximo fore usui. Quamdiu medici rure praxin exercentes nosocomiis carent, praesidia gravissima, quibus ars nostra divina salutem parat, humano generi desideranda videntur, qua de re Exp. Balk in commentatione de medicina populari *) nobis assentitur et haec etiam nostris temporibus animadvertenda profert:

„Die Einrichtung eines Lazereths ist die erste und wesentlichste Bedingung, ohne welche alles übrige nur sehr unbedeutende Vortheile schaffen würde. Und wie leicht ist diese Bedingung nicht zu erfüllen? für 200 Gesinde

*) Einige Worte über die Krankheiten des hiesigen Bauern, für Gutsbesitzer und Prediger Curlands bestimmt. Mitau 1793 pagina 21 etc.

wäre ein mässig grosses Lazereth hinreichend Da nun wohl selten ein Gut so viele Gesinde hat, so können mehrere Nachbarn zusammentreten und gemeinschaftlich ein Lazereth errichten, das aber alsdann möglichst im Mittelpunkt der sämtlichen competirenden Gesinde liegen müsste etc“

Iam dudum viri experti nosocomia singulorum circularum ecclesiasticorum exstruere et consilium hoc in praediis imperatoriis quoque exsequi suaserunt, quem in finem quoque nonnullis annis jam praeterlapsis collegium medicum Curoniae propositiones summo magistratui tradidit. Quocumque enim fere in circulo ecclesiae cuidam attributo, praedia tum imperatoria quam privata inveniuntur, ita ut communi tantum ope res ad finem exoptatam perducere possent videatur. Spes scopi attingendi non defuit, quum propositionibus supra allatis, a superioribus probatis, praediis imperatoriis societatem hac in re cum privatis inire, permitteretur. Opus autem bene inceptum, pro dolor; hucusque ad finem nondum perductum est.

Medicus ergo rure praxin exercens, valetudinario destitutus siue dubio arctis limitibus includitur, nosocomio contra praepositus, non raro maximo cum eventu copiosis morbo correptis salutem parat, Quo modo enim e. g. typhus late propagata in regione quadam funditus tolli posset, nisi nosocomia ad impediendum contactum et malum sanandum parerent. Exempla varia ac multa docent, medicos singulos de universis regionibus alicujus

incolis optime esse meritos, inter puos eminent vir quidam dignissimus, nunc Mitaviae munere publico fungens, qui cura et diligentia per annos continuos adhibita, aegrotos circuli sui, quorum quarta pars affectionibus syphiliticis erat correpta, in nosocomio congregatos, ad tam bonae valetudinis statum evexit, ut nunc rarissime in regione illa morbo syphilitico contaminatus inveniat. — En! nosocomii usus.

Exemplum commemoratum in promptu habuimus; nullo modo autem censemus morbum syphiliticum, e cohorte malorum, quibus vexantur rustici nostri, esse unicum, cui absque nosocomiis mederi vix possimus. Omnes morbi ad quos curandos majoris momenti diaeta et regimen, quam medicaminum propinatio est, curae pertiuatius resistunt quamdiu aegrotus in rusculo remanet. Exempli gratia infantibus scrophulorum morbo afflictis non aliud alimentum offerri potest, nisi quotidianum, in cibis crudis et gravibus e farina paratis, pisis, fructibus solani tuberosi, similibusque consistens, accedite quod aegrotanti infanti non raro plus cibi quam homini adulto ac bene valenti ingerendum esse credunt stulti. Ab hoc gravissimo errore autem homo incultioris animi nullis hortationibus et admonitionibus, sed tantum disciplina nosocomii bene regulata potest revocari. Rusticus enim fidem miraculis habens, se in assumendo cibo et potu salubritatis praeceptis optemperantem sensim sensimque posse sanari rarissime credit, et labefacta valetudine, sumpto medicamento subito in integrum restitui cupit.

Genus autem ratiocinandi eiusdem, a nostro longe discrepans, hoc est: Medicus arte sua peritus in curando morbo medicamentum adhibet omnibus numeris absolutum, quod satis habet virium, ut inde incommoda re quadam externa orta, facillime removeantur eamque ob causam incultioris animi homo medicinam minime efficacem beneque paratam esse putat cui haustu vini adusti (siceræ) vel bolo lardi omnis possit adimi vis. Pluries medici rure praxin exercentes affirmaverunt, se saepenumero — aegrotos in rusculum visum profectos — pulverum medicatorum, quos aegrotto dederant, magnum numerum in recessu quodam angusto jacentem invenisse. Ratione facti autem severe explorata responderunt, primas doses magna cum fiducia receptas nullum attulisse auxilium, quam ob rem, ceteras eandem speciem prae se ferentes, auxilium allaturas esse, se non sperasse. Certissimam semper spem rusticus positam habet in medicamentis spirituosis, quia quaecunque medicamenta domestica in spiritum frumenti (siceram, Schnaps) immersa sumuntur. Neminem ceterum fugiet, liquores medicatos seu tincturas speciem medicamenti rustico bene accommodatam esse, portionis seu doseos quantitate guttatim definita. Quum cochlearia cibaria e ligno confecta magnitudine inter se differant; cetera vasa autem, quoad volumen et amplitudinem, maxime incerta sint, doses infusorum, decoctorum ceterorumque liquidorum multo difficilius sunt metiendae. Attente autem videndum, ne rusticus magnam fiduciam in liquoribus medicatis seu tincturis ponens et gustu minime offensus omnem quan-

titatem uno potu exhauriat. Nobis duobus in casibus innotuit, rusticum sensim sensimque uno vespere, promissa vi somnifera et dolorem sedante non subito patefacta, integram drachmam tincturae opiatae sumsisse. Interim utroque in casu res nullum alium effectum nisi soporem gravissimum habuit, quem semel commodior valetudo est secuta.

Ceterum etiam multa impediunt, quo minus medicus effectum medicamenti aut quid inopinati accidere possit ante constituat. Iudicium vero de futuris prolatum certissime magni est momenti, ut fiducia medico habeatur. Si autem quod medicus praedixerat, haud evenit, aegrotus facile commovetur ad amplificandas aut multiplicandas doses, ut eventum ante constitutum adducat. Saepissime aegroti et in specie homines, qui continuis laboribus gravioribus corporis vires exercent, se constitutione minus infirma frui eamque ob causam graviores doses sibi esse accomodatas, credere inducuntur. Effectum autem, quem medicamentum proferre speraverant, non sentientes, medicamentum effectum constitutum omnino proferre non posse, credunt. Res autem haec haud raro medico praxin ruralem exercenti in talibus medicamentis praescribendis occurrit, quae aut dosium parvitate aut saporis defectu fiduciam aegroti tollunt. Gustu autem offenso, aegrotationem majore cum patientia, quam curationem ferens, usum medicamentorum negligit, aut primis portionibus sumptis, aequiore animo effectum, quem proferre possint, expectat.

Alia autem quaestio, quae magnum momentum in praxi rurali habet, est, quantum medicinae rustico sit confidendum. Qua in re dijudicanda rursus perpendendum est, medicum interruptis tantum temporibus aegrum posse invisere. Ne rusculi incolae cogantur cursorem mittere, qui solidum diem in itinere faciundo transigat, nec patiens omni medicina plane careat, medicus impellitur, ut, justo maiorem copiam medicinae concedat. Magnum autem, tam medico, quam aegrotanti incommodum inde procreatur. Aegrotus enim omnem salutem e medicamentorum haustione exspectans, quam celerissime copiam praeparatam sibi que traditam consumere studet; sed cum certo modo vasis, tum horologio carens, neque copiam sumendam, nec tempus a medico constitutum accurate observare potest, ideoque iterum iterumque confusionis et negligentiae fit reus. Rebus sic se habentibus, medicus observationibus incertis fidem paene nullam habere potest et a medicamentis fortioribus plane abhorreere coactus est. Omnibus computatis ipse medicus in urbe pauperibus et egenis medens non tanta cohorte incommodorum premitur, quum, tam aegroti ipsi, quam propinqui medicum et pharmacopolium facillime possunt attingere.

Praxi rurali tantis difficultatibus obruta multi rustici omni medicorum auxilio plane carent, eamque ob causam, multa mala pessimum exitum habent, multi morbi longins serpunt et maxima incommoda procreant, quae quidem omnia, rebus apte institutis, baud difficillime

possent evitari. In omni provincia 138,977 sunt rustici in praediis imperatoriis viventes, qui exceptis decem medicis ad inspiciendos circulos constitutis, duobus tantum in praediis a viris ad hoc munus obstrictis auxilium repetere possunt. Medici ad inspiciendos circulos constituti quidem sunt obligati ad quodcunque auxilium rusticis aegrotantibus praestandum, quod autem vel rebus omnibus faventibus et ipsi quam maxime cupientes, maxima ex parte praestare non possunt, quam ob rem non nisi re medicinali ad locum et insituta provinciae recte accomodata et medicorum viribus cum omnibus desiderandis bene computatis, malorum nonnulla cum radice evelli aliorumque malos exitus rescindi speranda est facultas. Haec autem omnia ad evidentiam paene evehi videntur unicuique, qui praeconceptae opinionis expertus non dubitat, quin ars nostra divina multis malis jam deletis et maximis commodis jam vindicatis, de die in diem majorem salutem humano generi parare studeat; cujus rei veritatem in dubitationem vocare prudentem non decet, temere audentem vero ab omni artis discipulorum cohorte gravissimis argumentis refutari debet.

His verbis de difficultatibus, quibus medicus, officia in curandis Curoniae rusticis exple-
re studens, premitur praemissis, de rationibus aetiologicis in genere morborum gastricorum apud nos dominantium paucis me expediam.

Ad morbum gastricum formandum influunt varia momenta, quae partim generalia a rebus universis ad vitam et valetudinem debilitau-

dam pertinentibus, partim singularia ab ipso aegrotante pendent et originem ducunt.

In generalibus prae ceteris contemplanda est constitutio stationaria gastrica. Experientia certissime docuit esse longiores periodos seu temporis spatia plures annos amplectantia, quibus morbi praedominantes ad affectiones systematicas gastrici spectent. Hujus modi periodus fuit inde ab anno MDCCLXX usque ad annum MDCCLXXX ac nonnullos annos postea, et inde ab anno MDCCCXXIII usque ad praesens tempus repetita nunc adhuc praevalet. Praeterea etiam contemplanda est constitutio annua, quae aestatis et auctumni temporibus gastricum genium morborum excitat. Denique autem maximum habet momentum constitutio endemica, quae et aëris climatisque indole late diffusa et locorum quorundam natura coercita est. Coeli natura calida et humida tum autem maxime vis pestifera locorum paludosorum permultum valent ad constitutionem gastricam endemicam provocandam.

De causis generalibus, quae ad provocandam constitutionem gastricam stationariam diversissimis et oppositis coeli terrae et tempestatum rationibus per annos continuos vi imminuta saevientem maxime valent, nihil adhuc quod scio certi exploratum habemus, nec usque ad hunc diem connexus cum relationibus telluricis nec cosmicis certe est demonstratus. Opus de re medica bene meritum ederet, qui connexum

et modum, quibus hac in re ganglia abdominalia cum cerebro cohaereant, accurate observatos conscriberet. Theorias autem de hac quaestione experientia probatas viris in medicis et politicis rebus doctis et peritis constituendas relinquo.

Constitutio gastrica annua cum endemica porro, quod mihi videtur, cum causis occasionalibus, quae gastricis morbis evolvendis favent, intimo connexu cohaeret. Causarum, quae omnino maxime variae videntur, hae gravissimae et saepissime inventae ad has regulas inter se conciliari possunt.

Peccata in cibo potuque sumendo seu contra diaetam commissa primum hic occupant locum. Partim committuntur eo, quod nimium cibi ac potionis concoctionem hominis cujusdam superans sumitur, partim eo, quod ciborum conditio sanae concoctioni male favet.

Deinde morborum gastricorum formatione jam pro tempore aut in provincia quadam praedominante, aut individuo quodam ad morborum, quos nominavimus genus praedisposito, refrigerationes saepissime ad hoc malum excolendum praebent occasionem, dum reflexus earum ad organa quibus concoctio efficitur quam maxime favetur. Qua in re non tantum consensus cutis cum integumento interno stomachi

et cum tubo viscerum est considerandus, sed etiam perturbationes per cutem illatae quomodo cum systemate nervorum conexum habeant sunt observandae. Etiam exanthemata chronica, dum supprimuntur, reflectuntur in organa digestionis. Denique constitutione stationaria gastrica praedominante febres cujuscunque generis efficere solent, ut organa gastrica secundo morbo corripiantur, quod praesertim in febriculosi exanthematibus observatur.

Quas causas occasionales, dum singulas inquisitioni subicimus, partim majorem partim minorem vim ad morbos evocandos in Curonia habere, experientia docet. Consueta ratio vivendi incolarum perpetuo fere praecepta diaetetica offendit. Cujuscunque fere ordinis Curoniae incolae temporibus, quibus corpus parum, vel plane non exercent cibis maxime alibilibus fruuntur et vice versa. Incolarum Curoniae major pars ruri habitans in rusticis occupationibus versatur, quod vitae genus tempore veris, ubi omnia in rerum natura ad novam vitam resuscitantur, plurimum operis atque laboris affert. Quisque mirabilem industriam ac diligentiam intuens, quibus rustici longioribus veris, aestatis et auctumni diebus circumaguntur, fortasse effusam virium contentionem modum egredi judicabit. Per omnes dies, qui media aestate propter longitudinem ad laborum copiam perficiendam opportuni sunt pauperrima rusticorum gens adeo omni otio caret, ut interdum tempus necessarium ad corpus enervatum ciborum sumptione erigendum paene non detur et

per noctem somnus ad artus fractos reficiendos sufficiens non permittatur. Nihilominus tamen rustici per omnem aestatem cibis quam miuime nutritiis fruuntur. Praeter vegetabilia alia, quibus hoc tempore utuntur, in aqua cum lacte commixta hordeum decorticatum coquendo jusculum praeparant, quam sorbitionem alicam acidam, (saure Grütze, skahba putra) appellant, eaque paritum jusculi loco cum pane aut in ampliore coena cum halice vescuntur, partim illam tanquam refrigerantem et recreantem potionem in laborando sorbent. — Quae vir Exp. Dr. Balk in medium profert* „Gerade diejenigen Personen, die eine sitzende Lebensart führen, genießen dies bleyschwere Essen am häufigsten. Ein sehr berühmter Arzt [aber ein geborener Kurländer] vertheidigte an einem Krankenbette, wo wir zusammen heilten die „Unschädlichkeit dieser Speise!!!“ duplici modo a veritate abhorrere videntur. — Nam, quod supra monuimus, rustici totius provinciae potius hoc nutrimentum quotidie capiant, rarius homines vitam sedentariam degentes; deinde autem hoc jusculum modo collaudato a rusticis concoctum magis potionem subacidam, quam cibum crudum et concoctum difficilem, efficit. Minime intelligo, quo modo in hordeo decortico cum lacte decocto tum autem aqua diluto,

*) Beiträge zur deutlichen Erkenntniss und gründlichen Heilung einiger, am häufigsten herrschenden, langweiligen Krankheiten pagina 268.

aliquid digestioni infestum existat, cui gravitas plumbi tribui possit. Mihi hoc jusculum (saure Grütze dictum) potio refrigerans et facilis digestu, potioni ex citreis confectae similis videtur.

His autem rerum rusticarum gravissimis laboribus finitis, hoc est, messe peracta et sementi auctumnali facta, vitam rustici agunt voluptatibus confertam. Excepto frumento excutiendo, per menses Octobrem et Novembrem omni opere vacant. Penus ex hortis conquisitum et fruges ex agris convectae copiose iis victum alibilem et salubrem suppeditant. Greges quibus adhuc copia optimi pastus super est, alimenta etiam animalia ei praebent. In saginandis et mactandis porcis etc, et carne, qua per hiemem praecipue fruuntur, acquirenda et praeparanda omne conteritur tempus. Majorem autem vim ad valetudinem perturbandam habent dies festi, qui cum ingenti apparatu et magnis conviviis auctumno celebrantur et gravissimum impetum in stomachum, a fortiore alimento capiendo desuetum, faciunt. Nuptiae hoc tantum anni tempore celebrantur, pompae funebres autem et convivia baptismalia auctumno tantum cum splendore instituuntur. Omnes qui his festis et conviviis intersunt, ventri dediti, quam maximam copiam ciborum, cerevisiae et liquorum spirituosorum in stomachum infundere student. Minime ergo mirandum, tempore auctumnali febres gastricas frequentissimas quotannis tam accurate repeti, ut medici morbum a conviviis nuptialibus ortum nominent.

Modo fere eodem res apud homines altiorum ordinum se habet. Praediorum possessores et omnes, qui rei rusticae operam dant, quorum magnus est numerus, per aestatem in agris, pratis, gregibus, piscationibus similibusque negotiis magnopere circumaguntur. Dum inde a prima luce usque ad extremum vesperem rusticis laborantibus adsunt et ad omnes res, verbis et jussis suis expediendas totum per diem in campo et silvis versantur et vi aëris salutarifruuntur, occupationibus corpus exercentibus et bonae valetudini faventibus minime egent. Auctumno deinde paene omnes ex ordine equestri rure viventes, venationibus indulgent, quae quidem exercitationes vehementissima virium contentione, refrigerationibus aliisque improvisis, incommodi aliquid haud raro corpori afferunt, nihilo minus autem ad valetudinem roborandam et firmandam magnam habent vim. Extremo denique auctumno quo, ut solet, venationes finiuntur, in urbes aut in praedia se recipientes desidiam et languore tempus conterunt et genus vitae a priore tam differens amplectuntur, ut homines vi aëris salutarifruantur quotidie usi et venationibus ceterisque omnibus corporis exercitationibus agitati, ne coclavi quidem moveantur. Quam vitae rationem homines, de quibus diximus, in urbes se recipientes, e consuetudine urbana ita invertunt, ut ad lucem dormitantes et prandio copioso fructu necessitudine aut consuetudine conjunctos salutandi et visendi causa conveniant et magnificis epulis meridianis comesis, somno insititio conquiescant et omne tempus vespertinum magnamque noctis partem

uno eodemque loco consedentes in ludo chartarum lusariarum consumant.

Etiam aliorum ordinum homines mensibus aestivis victu, si non minus difficili ad concoquendum, tamen minus alibili ex herbis seu vegetabilibus et molli ac tenera carne repetito utuntur. Praeter omnia olerum genera, aestate lacte maxime vescuntur, dum per hiemem pinguis caro saginatorum animalium cocta omnem praebet victum.

Concesso igitur, altiorum ordinum cibos quoquoque anni tempore ad concoquendum aptos esse at tamen nullum est dubium, quia fortiores cibi, qui hieme sumantur, plus sanguinis parent, quam herbae seu vegetabilia, e quibus per aestatem alimenta capiuntur. Praeterea apparet, vitae aestate agitatae exercitationes plus consumere succorum ac virium, quam segnitiam, cui per hiemem homines solent indulgere, quae res certissime plurimum habet momenti ad provocandam plethoram abdominalem, quae cum innumerabilibus malis inde sequentibus, saepissime in Curonia invenitur.

Quod attinet alteram causam, refrigerationem, ex qua morbi gastrici originem ducunt, sententiam nostram assertis viri illust. Hufelandi *) sperstruere non dubitamus, qui: „Das

*) System der practischen Heilkunde etc. pagina 27 profert.

Gesetz ist: „ait“ die Affection eines Theils kann entgegengesetzte Affectionen anderer Theile bewirken. Also verminderte oder aufgehobene Thätigkeit eines Theils kann vermehrte, vermehrte Thätigkeit eines Theils verminderte Thätigkeit anderer Organe hervorbringen. Diese Eigenschaft des Organismus kann die Entstehung vieler Krankheiten, aber auch ihre Heilung, durch Uebertragung der Krankheit von einem Theil auf den andern, bewirken.“

Locorum ac coeli natura et vitae ratione qua utuntur Curoniae incolae accurate consideratis, intelligimus, provinciam nostram habitantes a refrigerationibus haud facile posse defendi. Clima nostrum nunquam constans, ob hanc mutabilitatem jam diu in proverbii consuetudinem venit. Non solum anni tempora quotannis redeuntia rarissime legibus respondent, sed etiam aëris temperatio augetur aut diminuitur et venti excitantur praeter omnem paene regulam. Quam ob rem haud raro calidissimorum aestatis dierum vesperae gelu rigent et frigidissimum hiemis diem paucis horis praeterlapsis tempestas mitior nives ac glaciem solvens et imbres sequuntur. Venti certum tempus continenter flantes in Curonia et provinciis adjacentibus planis et aequis haud observantur; contra venti occidentales pluviam et venti ex oriente flantes siccitatem afferentes cito se invicem excipiunt, qua omnium ventorum mutabilitate efficitur, ut malaciae rarissime observentur.

Tempestatibus continuis, mutationibus obnoxiiis, ac coelo ipsa media aestate saepe aspero et ceteros

incolas et ipsos rusticos laboribus duratos refrigerationibus affici oportet, praesertim quum plurimae domus, e ligno leviter tantum constructae, habitantes contra vim tempestatum et impetum ventorum haud plane defendant. Item rustici, tantum tibialibus laneis et coriolo soleis substricto tanquam tegmine pedum utentes refrigerationibus pedum liberum dant accessum. Huc accedit, quod consueta vivendi ratione rusticorum nostrorum, refrigerationes facillime excitantur. Omnem per diem aratrum frigidum et humidum humum diffundens sequuntur, et vestes pluvia madefactas gerunt, ita ut in ipso corpore siccentur simulque labore strenuo quocunque anni tempore tantum sudoris movent, ut vel media hieme aestuante corpore vestes praeter indusium abjiciant. In cellis caldariis arearum, [quas Hitzriegen appellant] quibus ad exsiccandum frumentum utuntur, sub calore suffocante labores gravissimos perficientes ad corpus reficiendum gelido aëris flatui sese exponere, aut potum aquae e fonte haurire minime dubitant. Causis his generatim enumeratis nemo quaeretur: unde refrigerationes tam saepe numero in Curonia excitentur; sed potiusquam ob rem refrigerationes in Curonia tam saepe et tam graviter excitate non graviora et frequentiora mala sequantur? Multum rustici nostri cum in ceteris tum etiam hisce in morbis crebro usui sudationum debent, quibus hebdomadis laboribus fuitis die Saturni corpus et abluitur et reficitur. Magnopere igitur dolendum, nonnullas Curoniae regiones adeo lignorum penuria premi, ut gens pauperrima sudatoriis longum per tempus interdum careat.

Quod attinet ad suppressionem exanthematum chronicorum, quae reflexum ad organa digestionis habent, prae ceteris nominanda est scabies, cui quicumque circulator remediis externis scit mederi saepissime hanc praxin exercens. Tantum quidem abest, ut Hahnemanni sententiam de materie psorica amplectar, ut e contrario faveam Sarcopti scabiei. Nihilominus tamen persuasum mihi habeo, scabiem subito oppressam aut deletam, tanta afferre incommoda, quanta foniculus repente clausus experientia ducet.

In constitutione gastrica stationaria morbos febriles secundarium morbum systematis gastrici efficere observatur, quam etiam rem typhus abdominalis, aut [si placet] febris nervosa cum affectione abdominis docet.

Quum autem in hoc morbo dijudicando adhuc sub iudice lis sit et hac de re sententiae celeberrimorum virorum inter se differant, praeterea etiam hoc malum provinciae nostrae haud prae ceteris proprium sed longe lateque sit dilatatum, nec multa proferre nec meliora docere audebo. Lectorem benevolum ergo rogans ut e libris eruditioribus quam ex hoc institutionem repetat, iterum atque iterum rogo, ut opusculo meo indulgeat et mihi faveat.